

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCLV.**

**VD18 90538889**

LII. Dissertatio Medico-Chirurgica, De Cancro Mammæ, Eumque Nova  
Extirpandi Methodo.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16577**

DISPUTATIONUM  
CHIRURGICARUM  
SELECTARUM.

PARS TERTIA  
DE MORBIS PECTORIS.

---

---

LII

DISSERTATIO  
MEDICO-CHIRURGICA,  
DE  
CANCRO MAMMARUM,  
EUMQUE  
NOVA EXTIRPANDI METHODO.

*Quam Præside*

D. J. SERRURIER P. P.

*Tuebatur*

GERARD. TABOR,  
MOENO-FRANCOFURTENSIS

Trajecti ad Rhenum 19 Maii anno 1721.

Tom. II.

LII





DISPUTATIONUM  
CHIRURGICARUM  
SELECTIONUM  
DE MORBIS PECTORIS

---

DISPUTATIONUM  
MEDICARUM  
GALICANARUM

NOVA EXTRINSECI METHODO  
D. J. SERRURIER P. B.

GERARDUS TABORIUS  
MAGISTER ANATOMIAE

INSTITUTIONES  
ANATOMIAE





## I.

**D**IU in eligendo dissertationis inauguralis themate dubii hæsitavimus, nova enim in medium proferre ingenii tenuitas prohibebat, theoreticorum vero tricis se immiscere valde abhorrebat animus; omnia, nullam cum & in praxi clinica connexionem ac utilitatem habentia, secundum celeberrimos nostri ævi medicos, curiosa & extra forum medici practici posita æstimantes: interim, nobis hæcce pensitantibus, frequens mammas sexus sequioris cancro obsessas & ferro extirpatas videndi occurrebat occasio; & cum inter varias extirpandi methodos operationem hanc instrumento quodam, nullibi adhuc, ni fallimur, descripto aut delineato peragi videremus, in animum nobis induximus occasione hujus instrumenti cancrum mammarum pro materia dissertationis eligere & nonnulla de hoc morbo, ea, qua possumus, brevitate & perspicuitate proferre: bene quidem memores, nos in cancri descriptione, affectus, quoad symptomata, dirissimi, quoad causas, hactenus fere obscurissimi, & quoad curam, valde periculosi, laborem suscipere, quem humeri nostri perferre vix valeant. Cum vero excellentissimum *Stahlianum* aliosque celeberrimos medicos in hoc jam præeuntes habeamus, eo facilius nos ad exoptatum finem trita eorum vestigia sequentes, pervenire, est, quod speramus. Ad ipsam itaque tractationem cancri mammarum gressum facientes a *Supremo Archiatro* humillima petimus mente, ut huncce laborem in sanctissimi sui nominis gloriam & adflictarum salutem cedere jubeat: te autem, B. L., ea, qua decet, observantia rogamus, ut omnia benevolis oculis & æquo suscipere animo, melioraque, donec tempora dabunt pennas, expectare velis.

## I I.

Per Latinorum cancrum, Græcorum *καρκίνον* seu *καρκίνωμα* (ἀπὸ τῆς καρκίνου, καὶ νέμεω) Gallorum, chancer seu cancer; Germanorum, Krebs & quæ sunt aliæ ejus denominationes intelligimus vel tumorem mammarum scirrhosum, durum, inæqualem, coloris lividi aut subnigri, magna & eminentia circumquaque habentem vasa, dolore caloreque gravem: vel corruptionem earundem sphaceloso-ulcerosam.

## I I I.

Dividere solent cancrum in simplicem & nondum exulceratum, qui occultus ab Hippocrate 6 Aph. 38, & ab aliis apostemofus nuncupatur, ac cui sæpe, sed male, carcinomatis nomen tribuitur; & qui scirrhosam





tantum formam cum concurrente tamen dolore, calore &c. præ se fert: vel in exulceratum, erosum, apertum ac manifestum, qui, exesa cute, in ulcus, cujus labia foeda sunt & inversa, abit, fetidamque saniem cum sanguine corrupto stillat; is proprie carcinoma audit.

## I V.

Differt a scirrho essentialiter: in scirrho enim haud raro resolutio partium obstructarum obtineri potest; in cancro vero non item propter plenariam partium affectarum destructionem.

## V.

Distinguendus est porro cancer a tumoribus & nodis mammarum, qui lactantibus contingere & brevi iterum tempore evanescere solent; quando autem hi nodi diu subsistunt, nec tempestive dissipantur aut resolvuntur, in scirrhosam tandem abeunt collectionem, cancro proximam.

## V I.

Distinguendæ etiam sunt ulcerationes mammarum, oris labiorum duris præditæ & male spirantes; ab ulcerationibus, lividas vaporum ambientium inflationes conjunctas habentibus, propriumque demum constituentibus cancerum.

## V I I.

Signa quod attinet, cancer occultus in sua origine cognitu admodum difficilis est; in principio enim simplex tantum scirrhus est, qui, cum in progressu in cancerum degeneraverit, luculentiora & indubitata postea præsentis canceri exhibet signa. Nam tumor tunc magis magisque augetur, & in majorem molem attollitur, cum summa tactuique renitente duritie. Accedunt dolores ardentes, lancinantes & gravissime pungentes, patientem quasi per paroxysmos excruciantes. Color ad nigrum vel fuscum inclinat. Vasa circumjacentia inflantur, & varicosam lividamque faciem, cancerorum pedibus similem, exhibent.

## V I I I.

Quando cancer hæcenus clausus aperitur & exulceratur, vocatur cancer exulceratus & apertus; subsequitur tunc in ambitu ulceris durities. Labia ejus turgida, inflata, erosa, inversa cum colore modo livido & quidem hoc communissime, modo roseo & rutilante, adpectuque horrido ac abominabili evadunt. Effluit ex ulcere materia tetri coloris atque odoris,

si





fi scilicet crassioris existentiae apparet; quando vero tenuior ac liquidior eructatur, flavescens aut subruenta est, valdeque corrosiva. Adest devoratio partium vicinarum tam ambientium, quam subjacentium cum insigni ulceris fetore, ita, ut ad costas & in ipsum thoracis specum per intercostales musculos erosio saepe pergat. Torquentur patientes dolore vehementi punctorio, qui noctu exasperatur semper, saltem per intervalla. Vasa circumposita, turgida, varicosa & nigricantia apparent. Magnam sanguinis copiam mamma cancro obfesa saepe stillat. Accedunt animi deliquia, gravissimus animi angor & nonnunquam ipsa mentis vacillatio. Vigiliae & insomnia anxia, metus & terroris plena, patientes affligunt. Invalescente dolore febris succedit manifestior. Appetitus ut plurimum valde prostratus, rarius inordinate auctus, occurrit; & a paulo copiosiore ciborum assumptione graviter afficiuntur patientes. Perit odor. Respiratio est difficilis; & tandem, nisi illis occurritur, mors sequitur.

## I X.

Sedem habet dirus hic affectus plerumque in mammis feminarum, etsi Bidloo mammae virilis cancro obfesa in exercitat. Anatomico chirurg. mentionem fecit: in primis vero illae, quae animi pathematibus valde obnoxiae & deditae sunt; porro, quae ataxiis, obstructionibus, aut cessationibus mensium laborant, frequentius aliis succumbentes deprehenduntur. Sunt autem mammae partes praeter epidermidem, cutem facile dilatabilem & pinguedinem multam ex albicante glandulosa fabrica mediumpotissimum mammae occupante, cui tubuli seu ductus lactiferi per anastomoses juncti & cum arteriis & venis communicantes interpositi sunt, constructae; quae secundum recentiores mere vasculosa est, ita scribente, Cl. *Reyschio*, Thef. Anat. III. p. 31, se scilicet in medio portionis mammae muliebris morbosae, tumefactae & spongiosae observasse mollitiem quamdam, qua post extirpationem liquori immerfae, tam numerosa vascula a vinculo dissoluta sese videnda exhibuisse, ut tota fere illa portio videretur vasculosa. Arterias internas a subclaviis, externas autem ab axillaribus recipiunt mammae, quae deorsum in thoracem dimissae, per intercostalia & sterni loca egressae, mammis commissae, epigastricis communicantes in miras contorsionum spiras secundum Cl. *Boerhaave* abeunt; & tandem lactiferos tubos recta emittunt exiguos, qui uniti majores, denique vasa lactifera majora, latiora in angustum desinentia atque artificissima fistula in papilla exeunt, ita tamen, ut ex arteriis per lactifera in papillam, ab hac per galactophora in arterias, sit itus & reditus; ac tali modo glandulosam istam mammaram fabricam constituunt. Venae, quae ad mammas pertinent itidem duplices sunt, scilicet internae & externae, quarum priores a subclaviis, posteriores ab axillaribus ortum ducunt. Nervos accipiunt mammae a dorsalibus spinalis medullae.

X.





## X

Hiscæ explicatis jam ad causas & genesin obscurissimi hujus hæctenus affectus explicandas transgredimur: ubi quidem multas ac peculiare huic tumori explicando causas ab auctoribus assignatas invenimus, quas vero omnes brevitati studentes silentio præterimus, certo certius persuasi, neminem meliorem ac dilucidiorem cancri pathologiam huc usque tradidisse, quam excellentissimus *Stablius*; cujus itaque nunquam satis laudandi viri sententiam, uti in aliis medicinæ partibus, ita & hic amplectimur. Multum interim etiam ad sanioerem de cancri genesi conceptum formandum contribuit neotericorum anatomicorum indefesso & strenuo labore detecta glandularum structura: statuentium scilicet glandulam conglobatam ex arteriis, venis, nervis, duplicique vasorum lymphaticorum genere, (altero, quod depluit liquidum in cavum quoddam commune, folliculus, dictum; altero, quod hoc iterum resorbeat) in reticularem plexum formatis, in glomerem convolutis ac membrana vasculosa tectis, consistere; si vero tales innumerabiles jungantur, per vasa communia adunentur, ut unusquisque folliculus communicet cum plurimis, omnes tamen terminentur in unum ductum communem, ut pendeant instar uvarum a racemi stipite, omnesque postea nequantur tegmine communi, evadere tunc glandulam conglomeratam.

## X I.

Quod si jam in tali glandula vel a causâ externa, uti vehementibus mammæ contusionibus & compressionibus; vel a causâ interna, quo referuntur decubitus sanguinis fortiores ad has partes, lactis coagulationes, hæreditaria dispositio &c. stasis & coagulatio contenti liquidi exoritur, materia ita in glandula impacta & per canaliculos minimos sensim sensimque expulsis liquidioribus & remanentibus crassioribus transgredi non potens, accumulatur, illam opplet, membranam coercentem tendit & expandit: quod si in unaquaque glandula fieri concipias, una glandula versus alteram premetur, vascula intermedia comprimuntur, capacitas eorum coarctabitur, parietes accedent in mutuos contactus, & ita tandem formatur *scirrhus*, durus, inæqualis ac renitens; cum autem collectio hæc scirrhusa sua spissitudine ad corruptionis velociorem successum minus disposita est, neque affluxus humorum copiosior, ut largiore stasi formata inflammationi locus esset, continuat: fit inde, ut dicta hæc stasis diu absque ulteriore prævalida irritatione sibi relicta ita incorrupta duret.

## X I I.

Quando vero scirrhusa hæc stasis & coacervatio ætate, augmento  
&





& motu vicinorum ita movetur, ut vasa vicina ad margines Scirrhii inflammari incipiant, tunc evadit maligna, induitque indolem ac naturam *Cancris Occulti*; indurantur scilicet magis magisque glandulæ, cum vasis circumjacentibus fanguiferis intumescunt & inflammantur.

## XIII.

Si nunc in tali statu vel sua sponte, tempore, vel in congruis medicamentis; in primis ubi in subiecto concurrat humorum pravitas, cacochimia, vitia in animo, diæta & regimine, major affluxus humorum ad hæc partes ita affectas excitetur, materia in corruptionem ruere & glandulosas tunicas inficere incipit, omniaque in deteriora ac tandem in *Cancrum Exulceratum* seu ulcus putridum abeunt. Quia vero in mammis & sanguis & lac vehi solet, duplex hinc oritur corruptio; altera videlicet acido salina fermentativa nititur corruptione lactis in mammis præfente, siquidem chylus & lac alias in acidam corruptionem essentialiter ac facile inclinant, cujus cohærens caseosa portio salinam, acrem, subtilem assumit corruptelam: altera sanguinis corruptione & dissolutione, unde nascitur putrilago fætida, corruptiva & sphacelosa, quæ glandulosam & tunicaceam partium texturam depascit & solvit; quæ tamen a priori, utpote prævalente corruptela, in velociori sui putrescente progressu ac diffusionem coëctur ac temperatur: concurrentibus ad hoc in primis etiam motibus circa & intra partem affectam tonicis, constrictoriis & condensatoriis, quorum beneficio copiosi affluxus tam sanguinis quam lacteferosæ materiæ mirifice cohiberi, vel ad minimum impediri seu imminui possunt; unde etiam tales personæ in collo, facie, brachiis, scapulisque ad spectum talem plane strictum & contractum præ se ferunt: immo, in ipsis mammis similem exhibent, ita, ut reliqua quidem mammæ portio densa ac tensa tactui occurrat, plexus vero glandulosi eidem sese offerant instar plurium nodorum, stricturis modo dictis, veluti distinctorum.

## XIV.

Quando vero malum exacerbatum sensum gravissime afficit, & hoc casu major affluxus sanguinis oboritur, turgescent mammæ & tunc maxime temporis erumpit copiosior, purulenta, faniosa, ichorosa, varii, sed fere tætri coloris atque odoris, materia: ipsa autem hac intumescencia ramificationes vasorum comprimuntur, ut liber ille affluxus sanguinis per illas progredi non valeat; immo motorius actus circa partes affectas, naturæ, quæ valde abhorret a corruptione illa putredinosa & eidem quantum potest, reluctatur, unde non modo dolores & sensus acerbiores, sed etiam anxietates & ipsius mentis angustia conjunguntur, est, inquam, insigne illud instrumentum, mediante quo penetratio materiæ intimior in-

ter.





tercipitur & quasi circa solam superficiem ita tenetur, ut neque copiosus affluxus, materiam ulteriori corruptioni subministrans, fieri, neque uberior refluxus corruptelæ ad interiora, quæ alias præmature latiore diffusionem corruptionis post sese traheret, sequi possit.

## X V.

Cum vero interim putrilaginosâ, sulphurea e sanguine consistentia salfedinem illam alterius materiæ exacerbât & acriorem reddat, ut tanto magis corrosiva atque sensus irritativa evadat; fit inde, ut erosa non solum glandularum textura per innumera illa foraminula copiosa humiditas, sed etiam corrosis majoribus vel minoribus vasis sanguiferis major vel minor hæmorrhagia erumpat: fieretque hoc adhuc uberior, nisi partim strictura ante dicta interna & in ambitu muscularum partium vicina, partim ipsa intumescencia glandularum, partim spissescencia & coagulatio humoris, corruptionem ejus veluti antecedens, modum hic faceret. Hæc interim materiæ exsudatio inquinat superficiem ulcers adeo, ut nulla ibi nova concretio, aut structura debita in solidum, locum inveniat.

## X V I.

Sensus vero ipse, prout materiæ corruptio, modo acrior & copiosior, modo minor fit, gravius aut mitius afficitur. Ipsa quoque spasticorum motuum exacerbatio circa & intra hanc partem inducit sæpe numero majorem sensus affectum, ut adeo tunc temporis dolor lancinans, vibrans, tendens, premeus, urens atque rodens tanto magis sæviat. Affluxus etiam auctior, & inde prognatus tumor & inflatio partis solito major ex eodem fundamento, nempe propter tensionem majorem inducit quoque sensus intensiorem, ut tali tempore longe major ardor, immo & lancinatio atque compunctio sentiatur.

## X V I I.

Quando vero jam jam diu inhærens malum eo perventum est, ut in sinus atque foveas dehiscat, aut eliquatis paulo mollioribus tunicis, inæquales tales protuberantias in ulcere post se trahat, restorationis atque coalitus omnem quasi spem præcidit, & nascuntur inde, læsionibus ita constitutis, ob maximam resistendi difficultatem & incertitudinem actus & effectus apud patientes summæ inquietudines, vigiliæ, pavores, anxietates, vagæ debilitationes, immo lipothymia, spasmi impetuosus, tremores, motus convulsivi, mentis alienationes, tristitiæ, taciturnitas & cetera; verbo, omnia talia consuetaria, quæ res, in statu summe anticipi constitutas, decet.

XVIII.





## XVIII.

Quoad prognosin in genere notandum est, quod omnes cancri sive sint occulti, sive aperti admodum periculosi & curatu valde difficiles existant: in primis autem per medicamenta eos radicitus curare velle irritum & infelix plerumque deprehenditur conamen. Canceri occulti virulentia ad multos annos in corpore latere potest, donec agentis & patientis proportio conveniens eam in actum traducat. Quo major tumor, eo graviora symptomata præsto sunt. Cancrum occultum secundum divum senem sect. VI. Aph. 38 incuratum relinquere melius est, quam (medicamentis) curationem suscipere. Facilius curatur; qui ab externa, quam interna causa oritur. Cancer, qui sectione extirpatur, radicitus auferendus, alias adhuc ulterius serpit; indeque eos tantum secundum Galenum com. in Aph. 38. esse chirurgia extirpandos, qui in summa cute consistunt, quosque possumus una cum radicibus ipsis eximere. Accidit quandoque, ut post excisionem mammæ alterutrius & altera cancro afficiatur, in primis, si malum a causa interna ortum duxit. Mensium & Hæmorrhoidum cessatio ac suppressio omnia pejora reddunt.

## XIX.

Curam cancri & occulti & aperti varii cujuscumque ævi medici remediis aggressi sunt, quæ si omnia hic describere susciperemus, limites dissertationis multum transgrederemur: sufficit hinc quorundam saltem recentiorum methodos cancrum medicamentis tractandi paucis recensuisse.

## XX.

Commendat Cl. *Bohnus* in cancro non exulcerato, si sub cute adhuc lateat, & in principio existat, ac a causa externa dependeat, primum, repellentium moderatorum usum & quidem talium, quæ absque vi adstrictoria manifesta agunt, v. g. Herb. plant., pyrol., portulac., umbilic. vener., Geran. Robert., rad. Consolid. mai., Lentes aceto incocæ, argilla aceto temperata, lamina plumbea, quæ sola aut progressu temporis mercurio incrustata tumori cancroso strictius alligatur; ung. alb., empl. de spermat. ranar., diapomphol., de minio & sacch. Saturn: quibus, si dolor acrior, opium & opiata admiscere convenit. E quibus diversas concinnare licet formulas, e. g.

℞. *Succ. solan.*

*Plantag.*

*Geran. aa. ʒi.*

*Ol. Nymph. cum omphac. ppt. ʒss.*

Tom. II.

M m m

Sacch.





*Sacch. Satur.* ʒβ.

*M. F. Fofus.*

Vel

℞. *Pulv. Ranar. Virid.*

*Cancror. aa.* ʒij.

*Ung. de tribus.*

*Popul. aa.* ʒj.

*Ol. ranar.* ʒiij.

*M. F. Unguentum.*

Vel

℞. *Empl. Diapomphol.*

*De ranis cum ꝑ. aa.* ʒj.

*Ol. Hyofciam. express. q. ſ.*

*M. F. Emplastrum.*

Quibus frustra adhibitis refolventia jungenda sunt, non tamen fortia, sed mitiora & repellentibus semper temperanda, v. g. herb. ceterach. agrimon., lens palustris, scabios., perficar. fuccus, coriandr. succ. pulv. ranar. limac., & cancror. fluviatil. lithargyr. tut. pomphol. plumb. ust., ꝑ. vivus, hujusque cum plumbo amalgama, it. camphor in exilissima tamen quantitate, ung. & empl. diapomphol., de ranis cum ꝑio v. g.

℞. *Empl. de spermat. ranar.* ʒiβ.

*Amalgam. Saturn.* ʒiβ.

*Pulv. ranar.* ʒj.

*Cum ſ. q. Ung. Diapomphol.*

*F. Unguentum.*

Vel

℞. *Succ. solan.*

☉ *Virg.*

*Coriand. aa.* ʒj.

*Ol. ros.* ʒvj.

*Terebinth. venet.* ʒij.

*Acet. rosat.* ʒβ.

Agitentur in mortario plumbeo, addendo

*Cancror. combust.* ʒij.

*Ceruss.* ʒj.

*M. F. Linimentum.*

Quamvis tamen nec his remediis cancer cedat, sed magis magisque increfcat, nequitquam, prout in aliis tumorum generibus fieri solet, maturatione





ratio suscipienda, cum causa hujus tumoris continens in pus converti nequeat, sed potius per putrefactionem magis corrumpatur, ejusque vis corrosiva intendatur. Quod si vero cancer aut per se aut per abusum medicamentorum in ulcus corrosivum ac putrefactivum degeneravit, tunc exciendendus est: aut si excindi amplius non potest, tum saltem dolor ejus & nimia ingravescentia moderanda, quod perficitur topicis, quibus addenda abstergentia moderatiora v. g. empl. h., de carne bubul., ungu. medicamentosum, ▽ de pomis putridis destillata.

X X I.

Cl. Boerhaave cancrum occultum, qui extirpari nequit, quietum relinquere, & symptomata ejus saltem mitigare jubet; prius perficitur locum (1) defendendo ab omni externo per plumbata & narcotica.

℞. Gummi. Ammon.  
Galban.  
Sagap.  
Opopanac. aa. ℥ij.

Leni igne in test. solut. depura, tum admisce

Vitell. ovor. bene concuss. no. IV.  
Cere citrin. ℥ij.  
Farin. rad. Bryon. alb. ℥iij.  
Ol. infus. Ruta q. s.  
F. S. a. Emplastrum.

(2) Causam cognitam minuendo, corrigendo, avertendo, quo lenia purgantia ex blandis vegetabilibus, mercurialibusque faciunt, parva & sæpe geminata dosi data.

℞. ♀ Dulc. gr. XV.  
Diagryd. gr. xiiij.  
M. F. pulv., capiat semel in septimana.

(3) Diluentibus, aperientibus, blandis subcalicis, decoct. ex Bardan. chin. foenicul. petrosel. farsap. feorzon. &c.

℞. ♀ Diaphor. non ablut. gr. viij.  
Spermat. Cet. ℥j.  
M. F. pulv., Div. in ij. dos. sumat unam mane & vesperi.

(4) Vitando, quæ sumata vel applicata vicem causæ gerunt, Symptomata

M m m 2 secun.





secundum eundem iisdem, dolor autem opiatis mitigantur. In cancro exulcerato, si tolli nequeat, commendat, illum sæpe mundando, plumbata lenissima adhibendo & dicta usurpando lenire.

℞. ▽ *fillat. papav. Rhoead.*

*Rosar.*

*Sambuc. aa. ʒij.*

*Sacch. Sativ. ʒj.*

T R. *Opii ʒj.*

V *Theriacal. ʒij.*

M.

Vel

℞. *Aceti Lithargyrisat. ʒvj.*

*Ol. ros. ʒiv.*

M. F. *Nutritum.*

Quibus ulcus sæpissime abluendum.

### X X I I.

In cancro occulto excellentissimus *Stablius* universalium tempestivum commendat usum; laxationes nempe frequentiores e rhabarb. helleb. nigr. epithym. fumar. polypod. : V. S. porro, præcipue alias quoque consuetam, bis forte in anno circa æquinoctia. Juxta hæc convenire interne absorbentia cum leni diaphoresi interdum interposita; essentiam succini quoque non poenitendi effectus esse putat. Externe paucissima admittit, præfert omnibus frequentem usum spiritus vini camphorati, non tam loco immediate dolenti, quam late circa, immo primo velut eminus mammæ imponendi. In cancro ulcerato seu aperto tres format indicationes; prima est *mundificatio*, ubi vero caustica, acria & septica dissuadet, & balsamicis quantocyus insistendum esse putat: in levioris corruptione ambitus oleum laterinum aut similia empyreumatica cum oleo ovorum temperata non nullius esse efficacæ. Altera indicatio est *corruptionis inhibitio*, quæ fit secundum celeberrimi viri mentem vel per balsamica generaliora, vel per specialiora; e generalioribus a valde acribus cavendum, unde olea destillata & ex his parata balsama sulphurea &c. rejicienda sunt, incitant enim & sensum & intestinum sanguinis motum, ut inflammationes præsentius excandescant: si tamen inflammationis & putridæ corruptionis vis prius fuerit enervata, habent usum moderate usurpata. Optimum esse remedium myrrham, cui nullum æquandum aut anteponendum in cohibenda corruptione sanguinea; sicut in cohibenda salina corruptione, tanto magis vero in corruptione partium fibrosarum & quasi exsangium laudem suam mereri succinum. Ex his duobus remediis essentiam concinnat com-

posi-





positam, addendo pro circumspetto iudicio circumstantiarum aliquid olei traumatici, subtilis nervini, terebinth. cypr., aut modicum balsami quid cuius peregrini, peruviani aut copaju., interponendo nunc & tunc ali-essentia hyperici saturatissima, modicum ess. Elemi, ita tamen, ut omnem fiduciam totius efficaciae ponat in succinum ad partes exsanguas, in myrrham vero ad partes sanguiferas. Tertia indicatio therapeutica est *affluxus cohibitio*, quae per adstringentia non commode praestatur; per deficientia intenditur quidem, sed non perficitur; solis internis purgantibus, diaphoreticis, diureticis frustra tentatur. Hinc secundum eundem excellentissimum *Stahlum* dispiciendum est de tali remedio, quod cohibeat quidem effluxum & eo ipso affluxum copiosum successive retineat, & quod neque strictura nimia retropulsionem materiae ad interiora promoveat, neque positiva aliqua qualitate fomitem corrosioni suppeditet, sed potius acrimoniam corrosivam mitiget & obtundat: unde autem tale remedium desumi debeat, hoc quidem valde difficile non vero penitus impossibile esse iudicat; notum enim esse ex chymicis experimentis, quod acrimoniam acidam & corruptionem atque colliquationem putridam nihil efficacius, certius, praesentius corrigat & hoc praestet sine novae accretionis accessione, quam bene depuratus & ab empyreumatica nimia oleosa acrimonia liberatus spiritus vini, qui acidissimos liquores inspidos reddit, immo invertere potest, ut aciditatem hic rursus demonstrare artis sit: corruptiones putridas in totum cohibere, factas reprimere quotidiani ejus effectus est; usum ejus in corpus & transitum in & per sanguinem sine noxa, nisi maximae mensurae enormitate excedat, quotidie videmus: simplicissimum ejus effectum utiles humores leviter ac leniter condensandi, acres auferendi, tota dies testatur. Tenuissimam resolutionem & sub forma tali tenerrime resoluta per insensibiles atomos distributionem corpusculorum resolutorum balsamicorum omnes monstrant sensus, adeo, ut resinosa corpuscula ita extenuata in ipsos poros facile mixtionem cum humoribus & congressum cum fibris partium exferere possint: ac ita in nullo negotio taxandus veniat ejus usus, excepto solo sensu, quem, simulac partem attingit, facit, de quo tamen nullum timendum periculum. Si jam mediante spiritu tali medicamentum pro conditione ac praesente affectus statu concinnaretur, evadet tale, quale in aliis frustra quaeritur: unde testante *Stahlio* essentia myrrhae & succini prudenter proportionatae, praemissis & conjunctis quae decent, & cum debita usurpatae continuatione plus semel praestiterunt, quod vix quisquam sperare ausus esset; sed cavendum, ne quid improvide & imperite committatur, ab intempestivo enim aut improporcionado usu modo myrrhatae modo succinatae essentiae inflammatio, tumor & suppuratio quasi effraenantur. Sp. camphoratum leniter crocatum affectum talem sedando & gravissimam inflammationem imminuendo admodum utilem deprehendit; ulcera scilicet talia siccis linteis tegere & his alia Sp. camph. imbuta, spirituque prius iterum exhalita, imponere





folet, cavendo ante omnia; ne camphora intra ulcus temere immitatur. Quod *consolidationem* tandem concernit, non sine fundamento judicat, quod, ut in aliis ulceribus mundificatis & ad consolidationem recte dispositis insistendum sit conservationi balsamicæ, ut ita æqualiter restauratio fieri possit: ita & in hoc effectu nihil aliud, quam similiter balsamica locum habere ad similem affectum obtinendum. Hisce interna conjungit, ubi secundum eundem conducunt tum lenia laxantia, præsertim cum temperatis gummi-resinis remixta, tum etiam succinum cum pauca essentia myrrhæ largioribus dosibus sæpe usurpatum; it. usum florum ♁ vel ♁ in mortario triti, quod omnia destillata superat, nullo modo rejiciendum esse, & sæpissime unciam unam ♁ plus effecisse, quam multa alia artificiosa medicamenta, sub usu autem ♁ is medicamenta diapnoen & secessum promoventia adhibenda. Internum etiam nitri usum prudentem præsertim cum lenibus diureticis, arcano duplicato, tartar. B. lato mixtum valde utilem deprædicat. Et hæc sunt, quæ excellentissimus *Stablius*. quo sagaciorum, prudentiorum ac feliciorum in omnibus medicinae partibus nulla unquam dabit ætas, in cancro commendat; profecto, si spes medicamenti aliquid efficiendi in hocce affectu adhuc quædam superest, nulla meliori ac tutiori methodo, quam hac jam descripta, id effici posse plenarie persuasi sumus.

## X X I I I.

Mentio quoque facienda illorum remediorum, quæ ab auctoribus tanquam specifica certissima contra cancrum efferuntur laudibus: ita *Alliot* arcanum suum alcalino ♁ eum, quod cancri domitorem appellat, fusius in actis Hafniens. vol. I p. 140. commendat.

## X X I V.

Notum est etiam pulvis *Fuschii* Itali, Med. Norimberg., contra cancrum, cujus descriptionem Dan. Sennert. Prax. Lib. IV. Part. III. Sect. I. cap. 7. tradit: quo auctor talem sibi comparavit famam, ut ab omnibus tunc temporis medicis cancri vocaretur; cujus tamen usum *Hildanus* Cent. VI. obs. 22. 80. 81. valde dissuadet.

## X X V.

Nec reticendum illud a *Borello*. Hist. & observ. rar. Cent. II. obs. 51, communicatum secretum, ulteriorque experientia commendandum, sicuti & ea, quæ ratione & experientia ab aliis maximopere laudantur, nimirum ☉ diaphoret. Poterii, & alia diversimode præparata, millepedes cum lumbricis ▽stribus, nec non vera *Basilii Valentini* Tr. ♁ii.

XXVI.





## XXVI.

Nostris tandem hiſce temporibus magna hinc inde de remediis, quæ Dn. Conſiliarius *Kortholt*, Regiomontii in Pruſſia, contra cancrum poſidet, deprædicantur encomia; de quorum felici & exoptato effectu tam in cancro naſi, quam labii inferioris &c. non ſolum fuſius in actis Breſſavienſ. agitur; ſed excell. D. D. *Salzmann*, anatomix & chirurgix Profeſſor apud Argentorateneſes celeberrimus, fautor ac præceptor pie venerandus & cui toti, quoad ſpiritus hos reget artus, devote obſtrictiſimus, in epiſtola humaniſſime ad nos miſſa mentionem etiam facit duorum cancrorum exulceratorum & jam latius ſerporum feliciter hiſce remediis, omnibus admirantibus, Argentorati curatorum: quod itidem D. *Sachs*, Profeſſor ejuſdem univerſitatis celeberrimus, fautor honoratiſſimus, in litteris ad nos datis affirmat, ſcribens, ſe cum D. Nentero & D. Kolbio, primo cancrum labii inferioris, deinde cancrum mammæ primo occultum, poſtea apertum ſatis inſignis magnitudinis, & tandem cancrum mammæ eximix capacitatis cum remediis Conſil. Kortholti tractaſſe & feliciter curaſſe; ſequè in tractandis hiſ affectibus obſervaſſe, quod omnia acida fortiora interne & externe nihil proſint, e contra vero alcalia fixa penetrantiora optime ſeſe gerant, ſub horum uſu alvum ſucciviſis vicibus per laxantia ſelectiora, inter quæ præprimis extract. Helleb. nigr. hic eminere, & per anticatarrhalia lignoſa purgandam eſſe; exoptatum autem conſolidationis fundamentum; in ante dictis caſibus jeciſſe liquorem quemdam acidum correctum, it. vng. acido quodam alteratum: conſolidationem ipſam promoviſſe Baſf. Arcæi; duritiem vero glandularum pro viribus per empl. Diabotanon emollitam fuiſſe. Dolemus, quod nobis Amſtelodami degentibus ob temporum anguſtias non licuerit a Dn. Conſiliario Kortholt hæcce remedia petere, & illorum efficacix periculum in foeminarum cancro obſeſſis mammis facere.

## XXVII.

In hiſ & aliis adhibendis, & applicandis probe denique examinari debent tempus, ætas, temperamentum &c., non ſufficit enim cognita cauſa interna cancri convenientia adhibere remedia, oportet etiam medicum reſpectum habere ad cujuſlibet ægri naturalem eamque individualem conſtitutionem, qua ab alio ſpecialiter differt. Experientia enim quotidie edocemur, id quod uni maximo cum commodo & ſolatio adhibeatur, alteri non modo nihil proſit, verum etiam nocumento ſit.

XXVIII.





In genere adhuc de usu & applicatione remediorum monendum venit, quod sub horum applicatione exulare debeant, primo omnia remedia valde relaxantia, emollientia & maturantia, a quorum non satis detestando usu practici valde dehortantur & tristia proferunt exempla, uti videri potest apud Paræum lib. VI. cap. 30. Fernel. meth. med. lib. XVI. cap. 18, Hildan. Cent. III. obs. 87. & alios. Excell. D. D. Elias Camerarius, Med. Prof. Tubing. Celeberrimus, fautor nunquam satis colendus, quoque tristissimum talem emollientium observavit effectum in virgine, 40 annor., cancro mammæ occulto laborante, cui chirurgus ob dolorem pungentem emplastrum parvum leniens imposuerat, quo cum cuticula vix ablata esset, nulla postea arte iterum consolidari potuerat, sed ita sensim atque sensim serpsit, ut patiens intra spatium quinque mensium diem obiret supremum; eundem quoque eventum in aliis adhuc observavit. Omnia deinde remedia oleosa, pinguis & gummatosa valde noxia in hoc deprehenduntur affectu. Quæcumque porro remedia refrigerantia, acida, valde repellentia, adstringentia & septica admodum deliterii effectus sunt. Ab omnibus etiam remediis violentibus, uti arsenico, Auripigment., Solano furioso &c. nihil commodi sperandum, immo noxæ graviores verendæ sunt. De dolorum mitigatione adhuc observandum, quod in ejusmodi doloribus & corruptionibus, ubi motus intenti, vigiles, anxii, trepidi concurrunt, a narcoticorum & opiatorum frequenti, nimio ac copioso usu admodum cavendum sit.

## XXIX.

Et hæc sunt, quæ de variis recentiorum celeberrimorum medicorum cancrum tam occultum quam apertum per medicamenta & communia & sic dicta specifica tractandi methodis in medium brevissimis proferre volumus: inconcussæ interim veritatis & sanæ rationi ac diligenti tot tantorumque cujuscumque ævi medicorum experientiæ subnixum axioma esse certo certius credimus: *quod cancer scilicet Mammarum sive sit exulceratus, sive non ulceratus, per medicamenta Nunquam aut Valde Ravissime curetur*; Quicquid enim auctores de curatis canceris occultis per hoc vel illud remedium hinc inde produunt, illud tantum de tumoribus scirrhis curatis intelligendum esse credimus; dum forte vera ac genuina differentia inter scirrhum & cancrum plerumque neglecta, & hinc qualiscumque tumor & scirrhus mammarum statim pro vero cancro ebuccinatus fuit; de scirrhis enim simplicibus ac indolentibus satis superque notum est, quod medicamentis interdum, quamvis non sine difficultate, tolli possint: simulac autem eo ventum est, ut scirrhus fiat dolens & inflammatus, ac ita naturalem cancri adsumat, omni



omni tunc spe illum medicamentis curandi penitus destituimur : & si ex supra dictis miram mammaram structuram & veram scirrhii perfectum jam statum consecuti , ac ex hoc tandem enatam cancri genesin attento & absque omni præjudicio libero consideramus animo , nulla ratione mente concipi potest ; quo modo glandulæ & vascula minima obstructa & jam in mutuuum contactum ac coalitum concreta referari , illorum contentum inspissatum & crassius redditum iterum resolvi ac fluidius reddi , vasculorum latera coalita iterum sejungi , ac ita omnia in pristinam integritatem medicamentis restitui possint ; nisi totali ac plenaria ablatione & extirpatione partis continentis cum contento per operationem chirurgicam.

## X X X.

Ita quoque se res habet cum cancro exulcerato , quo modo enim quæso ! Corruptio ista , quæ jam invaluit & vicina loca in longum , latum ac profundum perrepsit , immo structuram glandularum vasculorumque minorum jam arrosit & depavit , & ita ad extremum corruptionis gradum pervenit , medicamentis inverti , partes vero læsæ consolidari aut auferri possunt , nisi partium affectarum extirpatione , quæ autem fieri non potest , quam operatione chirurgica ? Medicamentis enim corrosivis & septicis id efficere velle candidi ac pii viri non est ; & sicuti impossibile est , partem sphacelo penitus obsessam pristinæ integritati restituere medicamentis , ita multo difficilius ac impossibilius est , & pia tantum desideria conatusque sunt solis medicamentis cancerum curare. Negari quidem non potest , dari remedia , quibus cancerosa malignitas , si nondum invaluit , aliquo modo corrigi , & ulterior ejus progressus ad tempus sæpe fat longum refrænari & inhiberi possit , solis vero medicamentis cancerum radicitus curare velle , est re vera Æthiopem album lavare , & medicis & chirurgis Hydram hanc hac ratione aggressuris mille molestias , tædia & labores plus , quam Herculeos , plerumque irritos spondet : miseris vero laborantibus spem curationis fere omnem , nisi per ferrum & ignem adimit.

## X X X I.

Ast non sine causa objectionem multorum eminus audimus , cum ipse diffidentiam in hactenus propositis , & sub tegmine commendationis tantorum Virorum repositis , habeas , cur misere ita afflictis addis afflictionem , nec quemque secundum Celsum lib. V. Cap. 26 , sorte sua mori sinis ? Non enim sine ratione Cl. Auctor l. c. dicit : In his autem ante omnia scire debet medicus , quæ insanabilia sunt , quæ difficilem curationem habeant , quæ promptiorem ; est enim prudentis hominis primum eum , qui servari non potest , non attingere , nec subire speciem ejus ut occisi , quem fors ipsius peremit. Huic respondemus , quod licet

Tom. II.

N n n

legi-





legitima ac perfecta curatio in utroque cancro valde difficilis existat: crudele tamen fuerit & inhumanum, ægro nihil solatii afferre, atque, ut tantis doloribus excarnificetur, admittere, cum ex eodem Celso Lib. V. pateat, dubiam spem certa desperatione potioem esse.

## XXXII.

Sola itaque chirurgia est; qua cancorum occultum haud raro penitus excindere & curare, apertum vero, si glandulas subaxillares nondum infecit, & mobilis adhuc existit, radicitus extirpare, & miseras patientes pristinae sanitati restituere sæpe valemus. Prostant quidem multa exempla, ubi miserae tales feminae post peractam cancri extirpationem tamen febre lenta & cachexia denique extinctæ sunt; haud pauca interim etiam exempla felicissime extirpatione curatorum cancorum apud Scultetum & alios allegata reperimus. Laudem hinc medici & chirurgi merentur summam, qui in excogitandis adæquatis methodis & instrumentis ad hanc operationem cito, tuto ac citra omnem intolerandum dolorem exequendam ab omni ævo occupati fuerunt: ad quorum varias operandi methodos jam ea, qua fieri potest, brevitate describendas gressum facimus.

## XXXIII.

Si tuberculum scilicet cancosum adhuc parvum, mobile, nondum apertum, & in superficie mammae existat, veteres illud sequenti modo, ita Franc. Arceo lib. II. de curand. vuln. cap. 3. tradente, excindere solebant: præparato, inquit, corpore affecto purgatione & omnibus, ad operationem necessariis scil. Vitellis duorum ovorum una cum albo probe agitatis, addito, si placuerit, rosaceo modico, magna lichinorum copia, pulvisculis cum vitta quinque digitos lata & gaulap. bona parte & tandem acu vulneribus confluentibus idonea cum satis tenaci eodemque duplo filo, adoptatis, tertia a purgatione die secunda aut tertia hora a prandio patiens aut in pulvinis aut in culcitra resupinus collocetur, utrinque duo alii homines sint, qui illius brachia firmiter contineant: chirurgus vero immineat, ejusque crura suis ipse cruribus contineat, genibus supra culcitram ipsam flexis & firmis, tum cancer ipse manu apprehendatur, qui si contra ipsius mammae papillam erit, sapienter est divertendus, ne ipsa pereat excisa; quod si versus axillam fuerit, divertendus est etiam, ne quid ex iis musculis, qui ex axilla oriuntur, lædatur. Ubi ita recte constitutus fuerit, manumque sinistra firmiter comprehensus, tandem, cutis acutissima novacula aperitur, quantus cancer ipse sit: apertio autem in longitudinem fiat; deinde ex altero cancri latere caro commota abscindatur & separetur, ita tamen, ut cancer non feriat: quod si sanguis erumpat, globulo ex bombyce factò, locus op-

pleni-





plendus est, quem, si id fieri conveniat, alter eorum, qui brachia continet, digito comprimat, atque ex altero etiam latere carnem a cancro separaret. Ubi autem utrinque cancer detectus a carneque separatus sit, acu filoque medius transfigatur, filumque ipsum alteri filo innodatum, alicui eorum, qui adsunt, committatur, a quo continente sublata manu tenendum est atque hinc & hinc contra eam partem, qua chirurgus secat, divertendum. Ubi vero ex utroque latere probe fuerit a cetera carne cancer separatus, inferiori ex parte est abscindendus, idque, quam fieri poterit, expeditissime, digitis admotis, ut totus cancer abscindi sentiat, nihilque ex eo penitus relinqui: adeo autem celerem operationem esse decet, ut plus in trajiciendo cancro filoque colligando, quam in eodem penitus eruendo moræ sit. Cum abscissum & extractum penitus fuerit, ne quid ex eo intus reliqui sit, diligenter est pevidendum. Hæc ubi expedita fuerint, sanguis omnis, qui ex vulnere fluit, diligenter abstergatur, ac mox Lichini ovo intincti indantur, ita tamen, ne nimium compressi dolorem augeant, neque enim totus locus opplendus densa nimis Lichinorum inculcatione est. Impendæ autem stupæ eodem ovo intinctæ, pulvillique & vitta sunt adhibenda. Postero die eadem hora digestivo curabitur aut balsamo illo nostro, id pluma leviter unguendo fit, additis etiam filis siccis, non tamen nimium compressis, ut caro ipsa paulatim coalescat & sese committat. Circa ipsum vero vulnus superque ac circa mammam defensivum addi oportuerit ex rosaceo, cera & Bol. Armen. confectum, ejus autem quo diximus, balsami usu, quam citissime emundabitur vulnus caroque induetur ac sanabitur: super balsamum autem empl. basilicon. lino extensum imponimus. Tandem ubi satis jam inductæ carnis sit, cicatrix filis siccis impositoque basilico emplastro procurabitur. Hæc ille.

## XXXIV.

Nostris temporibus modo multo faciliori tuberculum cancriforme excindendi recentiores utuntur: inchoant nimirum primo curam internis corporis præparationibus, ob id sanguinem superfluum convenienter & sufficienter per V. S. in pede ventilant; primas vias a crassis impuritatibus biliosis ac aciescentibus abstergunt per infusa resolventia & laxantia, aliquoties exhibenda; prospiciunt, quo in feminis, mensium vitii laborantibus, hic fluxus in justum transferatur ordinem; porro, quo humores a confluentibus impuritatibus ferosis per convenientia remedia, scilicet absorbentia &  $\nabla$ ea cum acidis saturata, temperatiora alexipharmaca, diuretica, abstergentia, digestiva, succinata, interposito placido regimine diaphoretico, repurgentur. Quibus legitime peractis tuberculum, ita, uti superius monuimus; adhuc constitutum sequentem in modum excindunt: collocant patientem in fellam aut alium convenientem locum & brachium lateris affecti vel extendi vel retro fellam alligari aut con-





tineri a ministro jubent, ut tali modo musculus pectoralis retrahatur, cancerque magis in conspectum veniat ac ab illo eo facilius separari possit. Tum cutem tumori incumbentem in forma crucis sufficienter aperiant, lăbia vulneris quantum ad cancrum eximendum necessarium dilatant ac separant. Postea tumorem cancrum vel forcipe ab Helvetio in hunc finem excogitata, & in Cl. *Heisteri*, med. Prof. Helmstad. celeberr. chirurgia delineata, arripiunt, vel acum magnam cum filo transfigunt, extremitates filii invicem colligant, ad tumorem hoc modo attollendum & a subjectis partibus abducendum, aut solis etiam digitis unius manus cancrum tenent, & altera manu mediante cultro ita separant & excindunt, ut nil cancrosi relinquunt. Si vero cutis, qua cancer tegitur, jam quoque infecta & cum illo unita deprehenditur, hæc simul cum cancro excindenda venit. Post cancri excisionem sanguinis fluxus non statim sistendus, sed, si patientis vires perferre possunt, aliquot unciaz emittendæ sunt: ipsa vero ultra modum debilitata, vulnus statim post operationem deligandum: sanguine secundum patientis conditionem sufficienter emisso, non necesse erit ad Hæmorrhagiam sistendam cauteriis uti, sed satis erit, dum modo vulnus linteis carptis & pulvere aliquo styptico inspersis repleatur, vel solo alcohole: demum splenia & fasciæ convenientes applicentur. In sequentibus deligationibus cura cum digestivis & bals. vulner., uti in aliis vulneribus, prosequitur ac tandem absolvitur.

## X X X V.

Quod si cancer occultus jam totam occupavit mammam, & vel per se, vel per medicamentorum abusum in ulcus corrosivum ac putrefactivum seu cancrum apertum degeneravit, tota tunc amputanda est mamma, curaque multo difficilior redditur: diligenter hinc pensandum est, quid ante, & in post operationem observandum occurrat.

## X X X V I.

Ante operationem primo inquirendum, num cancer cum glandulis subaxillaribus aut musculo pectorali tantum communicet: quod si prius deprehendatur, minime scindendus est, siquidem radicitus extirpari non potest; idem etiam observari volunt auctores si musculo pectorali adhæreat, afficit autem Bidloo, se cancrum tales etiam cum parte musculi pectoralis optimo cum eventu extirpasse. Deinde corpus patientis convenientibus & supra allegatis remediis præparandum: attendendo probe, num patientis adhuc fluxui menstruo subjecta sit, quibus fluentibus, operatio aliquantulum differenda erit. Tandem die, a qua operatio peragi debet, appropinquante, omnia instrumenta & alia ad eandem necessaria in ordinem sunt ponenda.

## X X X V I I.

In operatione ipsa varii ejus modi operandi veniunt observandi: ubi nonnulli extirpationem ita administrare solent; elevato & abducto nimirum affecti





fecti lateris brachio per mammillæ basin cruciatim duas trajiciunt acus, duplici vel robustiori filo instructas, quo carcinoma melius contineri & a substratis partibus quasi avelli queat; quo facto cultrum falcatum fatis latum & acutum mammæ basi circulariter adigunt, ita, ut hæc celerrimis & paucis incisionibus a substratis partibus separetur, inchoando sectionem ab inferioribus potius, quam superioribus, partibus, ut vasa scilicet mammaria ultimo demum quasi ictu discendantur, & hæmorrhagia differatur.

## XXXVIII.

Alii, ut Solingen & Bidloo, bidentem seu furcam fatis magnam & aliquantulum incurvatam basi mammæ cancröse a parte ejus inferiori infligunt, & ope hujus mammam elevatam sub furca cultro magno extirpant.

## XXXIX.

Helvetius singularem excogitavit forcipem, qua mammam cancrösam arripere, elevare & cultro deinde abscindere jubet. Aliud etiam adhuc instrumentum in chirurg. Heister. delineatum in eundem invenit finem, quo scilicet tota mamma in basi arripitur & unica vice extirpatur.

## XL.

In Galliis hodierna die solent mammam absque ullo instrumento, nuda saltem manu sinistra comprehendere, illam elevare & cultro deinde a partibus substratis separare.

## XLI.

Nobis Amstelodami degentibus variis mammas cancro obessas extirpandi methodis adesse contigit, inter quas unam in nosocomio, præfente D. D. *van Buren*, medico nosodochii hujus ordinario & physico illius civitatis famigeratissimo (cui ob singularem favorem, dum nobis illum in visitandis ægris, quibus nosocomium abundat, comitari licuerit, multum obstricti sumus) ab Hartmanno, nosodochii illius chirurgo dexterrimo, extirpari vidimus instrumento quodam, quod, cum descriptum aut delineatum adhuc nullibi invenerimus, non solum illud ipsum, sed modum etiam applicandi, ea, qua fieri potuit, diligentia accurate æri insculpi, & huic nostræ dissertationi adnecti curavimus. Perficiebatur autem hæc operatio tam cito, ut omnes admirarentur adstantes: collocabatur scilicet patiens in sellam, & brachio affecti lateris bene extenso fasciisque in locis consuetis applicatis, mamma cancrösa vinculo arcte subligabatur, quo discrimen inde mammæ a musculo pectorali tanto luculentius manifestaretur; tum instrumentum hoc retro seu post ligaturam applicabatur, & ita mamma, vinculo soluto, ac forcipe, ab Helvetio excogitata, arrepta, una vice ab inferioribus incipiendo partibus quam felicissime & citissime abscindebatur.





## X L I I.

Post peractam operationem hæmorrhagiam, si patientis vires perferant, non statim sistendam, sed uncias aliquot sanguinis emittendas esse: patiente vero jam enervata, statim fluxum ejus sistendum ac vulnus deligandum suadent. Tum adhibenda dirigentia & moderata sarcoctica, v. g. Ess. balsam. Stahl. super imposito empl. stict. croll., & in peripheria Spir. camphor.; ad inducendam sarcosin vero ol. ceræ vel ovorum. Pars affecta tandem fascia convenienti deliganda est. Interne conveniunt eadem illa medicamenta, quæ superius commendata sunt, scilicet primo analeptica, emulsiva, deinde alexiphar. temperat. absorb. temperant. cinnabar. &c. Si, durante cura, febris vehemens, angustia circa præcordia, & respiratio difficilis accedunt, signa plerumque deprehenduntur lethalia; hinc per medicamenta convenientia interna tempestive eis obviam eundum est. Abstineant sibi patientes a cibis crassis, pinguibus, falsis, dyspeptis, aromatibus nimis, uti a potu sæculento & spirituoso. Exulent animi pathemata.

## X L I I I.

Vulnere consolidato, patientes in posterum bonum semper regimen in cibo, potu, animi pathematibus &c. sibi commendatum habeant; venamque bis in anno circa æquinocætia in pede secandam curent.

## X L I V.

Quod si autem cancer exulceratus in eum gradum exulcerationis pervenerit, ut partes glandulosas subaxillares jam arroserit, nullus tum peritus chirurgus illum extirpare conetur: sed ibi tantum cura sic dicta palliativa, dolorem & nimiam ejus ingravescentiam saltem moderans, locum habet, adhibendo scilicet topica ac resolventia & repellentia, superius dicta, quibus insuper addenda abstergentia moderatiora v. g.  $\nabla$  destillata Hildan., de pomis putridis &c., & sic patiens fato relinquenda est suo.

## X L V.

Hæc sunt, quæ occasione hujus instrumenti de cancro mammæ in medium proferre voluimus, solidius & fufius quidem omnia tractari debuiffe fatemur; sed cum & ingenii tenuitas & præfixi dissertationis limites id non permiserint, merito hic pedem figimus, & a Te, L. B., obnixè petimus, ut hæc nostrorum studiorum primitias benevolo suscipere animo velis: DEO autem *Ter optimo maximo* pro hæcenus concessis viribus devotissimas & humillimas agimus gratias; maneat *Deus, Deus noster!*

F I N I S.

EXPLI.





## EXPLICATIO FIGURARUM.

Fig. I.

- S**it instrumentum novum pro extirpatione mammæ cancerosæ.
- A. A.** Duplex lamina, ex aurichalco vel ferro bene cuso ac polito facta, quæ constituit semicirculum ex opposito B. B.
- a. a.** Monstrat hujus partem inferiorem; in extremitatibus C. hæc duplex lamina conjuncta est & unam efficit, ubi de cætero hiat, & ab invicem separata est pro spatium cultri ad operationem rite peragendam.
- B. B.** Semicirculus ex simplici lamina, qui cum præcedenti A. A. constituit integrum circulum pro ambitu & complexu mammæ cancerosæ & hunc in finem cum altero inferne arcuissime coit, clauditque.
- C. C.** Duo manubria semicircularum, quorum iste ex simplici lamina D. alterum duplicem A. A. transversim subit & substringit.
- D. D. D.** Notat hiatum & distantiam duplicis laminæ A. & a. pro intromissione cultri.
- E.** Culter chirurgicus semicircularis in medio convexus & aliquatenus cave politus pro complexu & extirpatione intimiori mammæ cancerosæ.
- F.** Manubrium cultri æquale & planum, quod clausis semicirculis A. & B. per spatium D. transit, & manui chirurgi hinc pro operatione inservit, ut patet ex Fig. II. E. D. G.
- G.** Cochlea, quæ intorquetur pro coarctatione partium instrumenti earumque adaptatione ad usum, quæ a parte inferna ubi mammam attingit plana & æqualis esse debet.

Fig. II.

- Repræsentat feminam, cujus mamma sinistra cancro obsessa est, & in qua applicatio ipsius instrumenti, ut & extirpatio ipsa monstratur.
- A.** Mamma cancerosa cum protuberantiis suis.
- B.** Brachium sinistrum de pectore bene extensum, ut musculus pectoralis a mamma cancerosa eo melius discerni queat.
- C. C.** Laminæ ex aurichalco vel ferro Fig. I. A. B., quæ mammam cancerosam complectuntur, eamque pressione sua integram e fundo suo operationi exponunt.
- D.** Manus sinistra chirurgi, in qua tenet manubria Laminarum fig. I. C. C.
- E.** Manus dextra chirurgi, quæ manubrium cultri fig. I. F. firmiter tenet, illum sursum ducit, & ita strenue operationem suam perficit. F. & G.



F. & G. Designant circulum, quem constituit culter mammam refecan-  
do.

H. Culter mammam refecans, qui supra musculum pectoralem ductus  
totam mammam cancerosam una sectione funditus extirpavit.





## P R O O E M I U M.

**N**ihil quidem frequentius apud medicos chirurgosque imprimis, reperitur, promta teterrimi cancri extirpatione: sed nihil tamen eadem esse ut plurimum incertius, damnosius & periculosius, simul mœsto cum corde fatendum est. Adeo enim usque immite atque intractabile prorsus abominandi illius mali plerumque esse solet ingenium, ut nulla fere humana ope & arte superabile sit, unde verissime quondam cecinisse videtur notissimus ille feliciore ingenio, quam fato, poëta Sulmonensis:

*Ulceris id genus est, quod, quum sanabile non sit,  
Non contrectari tutius esse puto.*

Profecto, ne potentissima quidem naturæ & artis instrumenta & præfidia, ignis nempe atque ferrum quidquam sæpius valent ad focundam illam & immortalem quasi luem penitus extinguendam. Neque enim atrocissima illa pestis excinditur ferro, aut exurit igni; quin potius,

*Per damna, per cædes, ab ipso  
Ducit opes animumque ferro:  
Non Hydra, secto corpore firmior,  
Vinci dolentem crevit in Herculem:*

Quam hydra illa cancrorum plus quam Lernæa in medicos chirurgosque vinci dolentes, adactis subinde viribus, ferociter insurgit, omniaque illorum machinamenta, quantumvis valentissima, eludit atque retundit. Tam late enim serpit dirum istud immedicabilis mali contagium, ut, licet uno loco, vindice ferro, rescissum fuerit, mox tamen altero, acrius resurgat, immo & hoc repurgato, paulo post tertium, quartumve sædissima sua tabe infestet & contamine, ita, ut in hoc numeroso & feraci malo plane eradicando, una fere salus sit, nullam prorsus sperare salutem, & maxima hic scientia medicæ pars esse videatur, sanare non posse, uti scite loquitur Quinætilianus. Non enim eo ipso solum loco, ubi pestiferi illi liventes ac subfusci cancri ramices latius dispersi conspiciuntur, propria ac destinata ejusdem sedes esse deprehenditur: sed per omnem potius corporis affecti & infecti ambitum, ubi muscoli, pinguedines & glandulæ potissimum repositæ sunt a natura, latissime circumspersa latent contagiosa cancri edacis semina exitium paritura: inde sævum virus

*urit corpore serpens  
Quamcumque arripuit partem, repitque per artus.*

Mutua namque tabe mox omnia inficiuntur, & extirpato uno cancro,

O o o 2

por-

